

G.

Q. II, 109.


Lat. I, 264. etc.



26

ORATIO SOLEMNIS
DE
CLADIS
PROPTER MVHLBERGAM
CAVSSIS
SACRO ANNIVERSARIO
DIEI NATALIS
ACADEMIAE APVD IENENSES FLORENTISSIMAE
ET
AVGVSTI EIVSDEM STATORIS
IOANNIS FRIDERICI
SEMPITERNAE MEMORIAE
CONSECRATA
PRO CONCIONE ILLVSTRI
DIE FEBRVAR.
ANN. A SOT. NAT. MDCCLXXXVI
SOCIETATIS LATINAE NOMINE
RECITATA
A
GEORGIO LVDOVICO HERTZOGIO
PHIL. ET IVR. DOCT. AMPL. PHIL. ORD. ADSC.
SOCIETATIS LATINAE
EPHORO.

I E N A E,
LITTERIS MARGGRAVIANIS.





SPLENDIDISSIME SOCIETATIS
LATINAE PRAESES,

ILLVSTRISSIMI COMITES,

PATRES ACADEMIAE VENERANDI,

GERMANICARVM LITTERARVM PRAESTANTISSIMI CVLTORES,
ROMANAE ELOQVENTIAE AMATORES SVAVISSIMI,
LABORVM SOCIJ AC AEMVLI,

AVDITORES CETERI, NOBILITATE GENERIS,
DOCTRINA ET VIRTVTE CONSPICVI.



HEroes nusquam minus, quam in urnis inuenimus: nec quaerendi, qui ubique sunt. Omnibus enim fere gentibus ab omni aevo usitatum solemneque fuit, rerum gloria florentium uirorum memoriam aliquo monumentorum genere aeternitati dedicare. Qua cura non uirtuti solum rectissime prospexerunt, sed optime etiam ciuitatibus consuluerunt, ut uel ipsa posteritas, per insignia et haud ingloria maiorum uestigia, inueheretur in famae et felicitatis sacrarium, uel in praeclarorum hominum uitam, tamquam in speculum, possent intueri post geniti, et ab ea discere rerum, praeclare agendarum, indolem, casus et modum.

Ad usum pariter ac salutem reipublicae adcommo-
datus est, turis et exploratis maiorum uestigijs insifere
poste.

posteris, quam, proprii consilii fiducia, nouas amplecti uias, exituras plerumque, post uanos labores, et irritos conatus, in publica damna. Quem fugit, Aegyptios ueteris aevi insignia facta obeliscis concedidisse? Quis ignorat, Graecos et Romanos publicae salutis propugnatorum facta, maxime notatu digna, in aere et marmore signasse, ut incisa et insculpta publicis aeternisque monumentis ad posteris transferrentur, et muti lapidis uel metalli loquaces tituli futuris temporibus uita defunctorum res gestas commemorarent.

Sed quum et haec sacratissima fatorum ludibriis paterent monumenta: oratores et poetae, singulari quasi spiritu adfati, effecerunt, ut uitae consequendae gloriae cupiditas nepotum animis instillaretur, et uirorum, omni uirtutum rerumque gestarum genere praestantium, imagines ante posterorum oculos quasi semper uolitent. Quis antiquarum litterarum leuiter tantum doctus ignorat, Homerum Achillis laudes cecinisse? Cui incertum est, Romanos, litteratissimae Graeciae felices imitatores, hunc morem sequutos esse?

Et gentes, quod miramur, elegantiorum litterarum adhuc rudes, de conseruanda rerum, antea praeclare actarum, perenni memoria solliciti fuerunt. Veteres ante Germani, quam in elegantiores artes incumbabant, heroum suorum uictorias, ne posterorum notitiae aliquid subduceret obliuio, erectis cippis, montiumque cauitibus inscribent, ut litteratis saxis aptarent uocem praeconis. Carminibus etiam sui generis quibusdam, neque omni destituti artificio ac uenustate, quod apud illos erat memoriae et annalium genus, celebrabant opera et ministerio certorum hominum, quos Bardos uocabant. Canebant Tuistonem Deum et filium Mannum, originem gentis et conditores. Canebant fortissimos praeteriti aevi uiros, et illustria horum facta in conuiujs, et praelia ineuntes, ut his augustis maiorum exemplis accenderent animos, futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurarentur. Nec uirorum, de republica optime meritorum, memoriam quotannis

tannis celebrare, a veterum Germanorum more et pietate alienum fuit. Trucidatis Augusti legionibus, occiso Varo, disturbato sibilantium rabularum coetu, vindicata Germaniae libertate, ARMINII uictoris et patriae defensoris MANIBVS, erecta columna, sacro anniuersario parentatum est.

Quae quum ita sint, AVDITORES, laudatam hanc maiorum nostrorum consuetudinam nostra aetate negligere, nonne turpius esset, quam a uirtute ad uitia, ab eruditione ad ignorantiam, a sapientia ad stultitiam, ab humanitate ad barbariam desciscere? Quid enim aut pietati, aut litteris, aut humanitati, aut sapientiae conuenientius? Judicetis igitur, an a societate Latina uel DEO, uel ORBI CHRISTIANO, uel REIPUBLICAE LITTERARIAE, uel SERENISSIMIS huius ACADEMIAE TVTORIBVS, uel eiusdem PATRIBVS, uel CIVIBVS, uel POSTERIS, uel, ut omnia uno uerbo complectar, an iustitiae maius a societate Latina officium illo possit praestari, ex quo diem secundum Februarii anni a SOT. nato millesimi quingentesimi quinquagesimi octavi quotannis solemnibus orationibus felicem, faustum, aeternum esse iubet? Quid aequius est, quam hunc diem solemnem praedicatione uindicare ab oblivione, quem DEVS ipse notauit? diem illum, quo inuictam in captiuitate DIVI IOANNIS FRIDERICI uirtutem admiramur? diem, quo exoptatam inexpugnabilis bonarum artium sedis consecrationem pia colimus recordatione?

Salue igitur lux auspicata, bonis omnibus exorta, ex qua nouae faces ad illuminandos hominum animos accendebantur! Salue lux auspiciosa, qua propitio DEI consilio, PRINCIPIBVS piis adprobantibus, ciuibus gratulantibus, exteris adplaudentibus, non solius Thuringiae, non Saxoniae, non Germaniae, sed florentissimarum totius Europae regionum felicitas corroborata est! Salue lux auspiciatissima, quae exoptatam natae huius Academiae uisum sollemnem, inceptam a precationibus, firmatam SVMMI rerum CONDITORIS tutela! Annus est, P. A. G. ex quo uerba ad VOS feci. Ex instituti sanctitate, ex consecrationis religione, ex IOANNIS FRIDERICI pietate VOBIS

tunc temporis luculentissime ante oculos posui, tale Paladium, e caelis demissum, a nobis custodiri, ut nulla rerum iniuria, nulla fatorum potestate, haec nostra, quae IENAE floret, ACADEMIA possit expugnari. Hodie VOBIS, AVDITORES OMNIS ORDINIS PRAESTANTISSIMI, calamitatis propter Muhlbergam caussas in lucem proferram, ut uideatis, cur, clade hac SMALCALDICIS SOCIIS inflicta, Vitteberga capta, de nouo literarum bonarumque artium domicilio, Ienae exstruendo, cogitatum sit.

Gemuit totus Christianus orbis sub crudelissimo PONTIFICIS ROMANI MAXIMI imperio, quo intellectui imperabatur, et supersticiosa caecaque obedientia Europae gentes continebantur: quum saeculo reconciliatae gratiae sexto et decimo inopinatum in Saxonia sidus exortum est, quod, profligatis spississimis irreligiosae superstitionis turpisque ignorantiae tenebris, uerae religioni Christianae lucem restituit. Amplexi sunt Saxoniae principes cum ciuibus cognitam ueritatem, sanctissime iurantes, nullam uel inuidiae uel calamitatis procellam ab emendatoris cultus diuini professione, et defensione se deterrituram.

Fieri non potuit, quin optimae caussae inimici ad hanc opulentissimam regionem saepe oculos adicerent, quam e faucibus ereptam dolebant. Vexillum Romanae purpuratae belluae in media Saxonia iterum se defixuros, minabantur. Viderunt quidem e longinquo GERMANIAE PRINCIPES, rectae religionis propugnatores studiosissimi, grauisimum impendere periculum. Tot inimicorum simultates, tot minae, tot machinationes abunde docebant, quanta adfuerint tristia mali omina. Variis quidem comitiis et colloquiis tentatae sunt animorum reconciliations. Sed obstiterit pertinax animus in pontificis maximi auctoritate manentium, et qui ab illa recto consilio recesserant, fatis finistris succumbere maluerunt, quam ab emendato SVMMI NVMINIS cultu ad superstitionem, a libertate ad seruitutem, a luce ad tenebras transire. Et, si uerum fateri, fas est, sub blan-

da amicitiae et religionis conciliandae specie illi pestem in
 hos machinati sunt. Quamuis etiam diceremus, non uno
 impetu ruere parietinas: laxata compages, defluens sensim
 arena imminentis ruinae praenuntiae esse solent: sensim ta-
 men horum res concidissent, nisi labanti saluti manus sup-
 positae ruinam impediissent. Circumspiciendus erat adi-
 tus modusque, religionis causae, et temporum necessitati
 conveniens. Malis, quorum tot omina experti erant, im-
 pendentibus non uota solum religiosa, sed arma etiam erant
 opponenda.

Quibus rebus ita comparatis, plurimi diuinæ causæ
 defensores Smalcaldiae contra quoscunque adgressores in
 foedus coiere: hac lege, ut salutem defenderent, nemi-
 nem offenderent. Ita enim hanc sibi adserere, statuerunt,
 ut, nec inuidere aliis felicitatem, nec, quod naturalis erga
 se ipsos gignit caritas, religionis uerae, et libertatis abieci-
 sse desiderium, uiderentur.

Sed utinam optimi hi Smalcaldici foederis socii BACO-
 NIS VERVLAMII sententiam animo reputassent, in uita
 Henrici VII. regis Angliae, rectissime dicentis: bellum il-
 lud offensionis dicendum non esse, quod omitti non potest,
 si salutis conseruatio curae est: neque profecto primum
 ictum adgressionem constituere, quem princeps prudens
 nullus exspectare potest, sed primum ad bellum irritamen-
 tum, uel saltem primam praeparationem.

In eo principem, quamuis satis remotam, causam, cur
 res parum feliciter gesserint, sitam esse, arbitror, quia CAE-
 SARIS impetus, ne defendentium limites transgrederen-
 tur, exspectandos esse, sibi persuaserint. Et DEVS, et na-
 tura, et ratio ad arripienda pro religione arma inuitabant,
 ut imminentes hostium ictus auerterent, ut CAROLVM V.
 bellicosissimum imperatorem, copiis nondum satis instru-
 ctum, et copioso rerum bellicarum adparatu destitutum,
 hostibus undique circumseptum, improviso adgrederen-
 tur, ut denique, occasione manus porrigente, uindicatam re-
 ligionis libertatem sibi confirmarent OPTIMI PRINCIPES.

Nec

Nec dubitandum erat, quin ipsis pararetur exitium. Ex Italia summa instabat calamitas. Fremebat gloriae illud animal, quod e Romae montibus Christianis huc usque principibus fata ex arbitrio dispensauerat, cruento ore. Nocturnis diurnisque cogitationibus horum, abiectum qui caecae obedientiae iugum ridebant, meditabatur, ne superbum imperium, praeter opinionem elatum, tot principum motibus conuulsatum, inopinato tandem et grauisimo lapsu funditus euerteretur. Miscebat igitur PAVLVS III. et concitabat omnia mala in eorum, qui ab ipso defecerant, perniciem. quibus ex Caligulae exemplo unicam ceruicem optasset, ut unicus in eos ictus, et subitus horum fuisset interitus. Cum immanissimo hoc hoste foedus Caesar inierat, ut, pace cum Gallis Crespiaci facta, induciis cum Turcis constitutis, omnes vires omnesque cogitationes in Smalcaldicorum sociorum euerfionem intenderet.

Hi, quid adpropinquet, viderunt, et, defensionis iuribus uti, iniquum esse, existimarunt. Quamuis autem rebus suis male ita consuluerint: luce tamen clarius est, ipsos hac ratione ignominiam et impietatem, iniuste ipsis tributam, deleuisse, ex qua perfidi, rupta sacramenti reverentia, a summo imperii Germanici principe defecisse, et, procliues ad omne flagitium, iura diuina, et humana omnia violasse, dicebantur. Reprimebant hoc pacto ficta, quae obiciebantur, crimina, et nescio quae? probrosa et nefanda, legibus humanitatis et Germanici imperii contraria instituta: in primis, quum CAESAREM a bello contra ipsos parando humanissime dehortati essent. Beneficiis enim ne illis quidem contra hostes ob religionem usi sunt, quae tamen ipse AVGVSTISSIMVS optimi iuris AVCTOR, aequissimusque rerum iudex concefferat.

Quibus rebus accidit, ut dimicandi occasio sub maxima victoriae spe ad Rarisbonam, ad Landshutam, et ad Ingolstadtum negligenter, quamquam in obtinenda victoria omnis salus, omnis propugnandae religionis fructus
erat

erat ponendus. Et plerique ueteres milites, et clari bello duces, qui interfuerunt, plurimum admirati sunt, has occasiones parandae uictoriae non inani quodam errore esse praetermissas, quum Caesarem, ad Ingolstadtum properantem, et plano apertoque in loco sine munitione pernoctare coactum, uel interdiu in itinere, uel nocte, munitis nequaquam castris, inuadere, et equitatu, peditatuque, locorumque notitia potiores, praeclari omnino facinoris edendi facultatem habuissent.

Accedit adhuc alia SMALCALDICORVM SOCIORVM calamitatis ratio, ex qua par rerum bellicarum cura, summaque in exercitus auctoritas in IOANNEM FRIDERICVM, Saxoniae ELECTOREM, et PHILIPPVM, Cattorum LANDGRAFIVM, ut dicitur, erat translata. Fuerunt ambo uirilis animi principes, qui illius impetum ad pacandam rempublicam, eamque defendendam, conuerterent. Respicientibus ad tempora superiora, et DVCVM SAXONICORVM studia et fata recolentibus occurrebat, quanta illorum fuerit opera in funestis Germaniae bellis profligandis, in libertate tuenda, in republica constituenda. Patebat, quid Germania, uaria iactata fortuna, et casibus aduersis et asperis rerumque angustiis confictata, debuerit SERENISSIMIS Saxoniae PRINCIPIBUS. Quid regionum libertas, et DOMINICAE FAMILIAE dignitas FRIDERICI BELLICOSI uirtuti? quid ordinata respublica prouidentiae FRIDERICI PLACIDI, et ERNESTI, stirpis nominis sui conditoris? Quid emendatio sacrarum litterarum ueritas excitata FRIDERICI SAPIENTIS fauori? Exstabant insignia auitae gloriae uestigia, si ad immortales PHILIPPI maiores per longam temporum seriem redibant. Non ignorabant ipsorum DVCVM praestantiam. Sperabant omnia fausta a IOANNIS FRIDERICI magnanimitate, et constantia, a PHILIPPI strenua uirtute. Existimabant non inique, tam insignium PRINCIPVM humeris sustentari difficillima Germaniae tempora. Sed quid de duobus ducibus, pari imperio pollutibus, a Smalcaldicis sociis electis, censendum sit, ipsi iudicate, AVDITORES, si simul probe reputastis, belli fortunam, militum dimicandi cupiditatem, exercituum uictorias,

B

fi

si plures praesunt, retardari potius, quam augeri. Hinc illae calamitates! Hinc uaria de ineundis praeliis in contrarias partes distracta disputatio! Hinc ille fatalis et consilii, et pecuniae, et concordiae defectus! Hinc illud damnosum in Sueuia exercitus otium! Hinc illud futurae cladis et ruinae praeflagium!

MAVRITII DVCIS SAXONICI crimen silentio praetereo. Cui enim ex historiae monumentis occultum uel incertum esse potest, hunc **DEI** causam deseruisse, et sancta necessitudinis iura uiolasse. Praeparabat ipsa diuina prouidentia ingentis facinoris uindictam. Sed nescio quo fato factum sit, ut, capto Roelitia **ALBERTO**, exercitum non in **MAVRITIVM** recta duxerit **ELECTOR**, ut uel post tantam cladem debellatus esset, uel tota Misnia cessisset.

Peruestigauimus hucusque, et adtulimus rationes, **AVDITORES**, propter quas non temere funestissima metuebatur rerum inclinatio. Eo erat perducta defensionis conditio, ut ab hac nihil aliud, quam exitiales rerum exitus, poterant expectari. Vtinam foedere coniuncti, salutis patriae cupidi, de durioribus malorum remediis mature solliciti magis fuissent? Vtinam maiori animi uigilantia exceperissent, oblatas a fortuna, occasiones! Vtinam alacriores singularem **DEI O.M.** prouidentiam sequuti essent, qua uidebatur prouisum, et constitutum, ut respublica et religio, per multos annos rerum asperitatibus conflictatae, in tot **GERMANICORVM PRINCIPVM** fortitudine haberent perfugium! Aderant ex numero exercitu summa praediti uirtute heroes, qui pro salute publica excubuissent, qui malis ingruentibus opes, fortunas, immo corpora sua, opposuissent, qui laborantibus rebus mature opitulati essent. Sed neglectae erant optimae defensionis rationes: mutata erat rerum et fortunae facies.

Horrendum iam illud belli incendium in florentissimam Saxoniae partem grassari incepit. Adproperabat **CAROLVS V.** exercitu, splendide instructo, et ad pugnam expedito, acque fortissimus ille cunctator, ac puginator pugnacissimus: hostis profecto ob disciplinam militum, ob castra metandi scientiam, ob ductandi agminis ordinem, ob sum-

mam

mam instruendae aciei peritiam, ob tormentorum adparatum, maxime formidabilis. Resedit ELECTOR ad Muhlbergam, et nimia fluuii profundi, siluae magnae, et Vittebergae uicinae fiducia qualescunque hostium imperus secure expectauit. Aversa esset forsitan ingruens calamitas, erepta cladius patria, feliciter defensa religio, uindicta ab interitu IOANNIS FRIDERICI dignitas, nisi Tumfernium, quod pessimi consili fuit, in Bohoemiam, Mansfeldium in inferiorem Saxoniam, data singulis exercitus parte, misisset: ita enim fieri non potuit, quin copiis destitutus PRINCEPS opprimeretur.

Nihil autem magis declinandae fortunae obstaculo fuit, quam ipsa illa, qua fulgebat, IOANNIS FRIDERICI uirtus. Obstetit fidei, quam semper seruauit, sanctitas. Obstetit animi, qua ornatus erat, integritas. Quum enim nihil minus, quam perfidiam, uereretur: factum est, ut suorum proditioni magis, quam Caesareorum militum armis, succumberet. Intimos, quos secum duxit, amicos sceleratissimos habuit proditores, qui argento turpiter corrumpi maluerunt, quam florere fortium et honestorum uiuorum gloria. Crebriores ad CAESAREM de iis, quae in castris gerebantur, pertulerunt nuntios, persuadentes simul cordato, optimique ingenii PRINCEPI, nihil nequitiae, nihil sceleris suspicanti, parum periculi imminere, ut, ne CAESARIS quidem, sed Mauritanas copias adesse, crediderit, quum iam in altera ripa Hispani et Hungari conspicerentur. Tanta erat perfidiae uis! tanta flagitii turpitude!

Obstetit constans, qua semper excelluit, pietas. Euenit enim proh dolor! die solis, cuius occasus cum SMALCALDICORUM SOCIORUM salutis occasu et interitu de infausto et uere ominoso eiusdem ortu testatus est, quum a sacra concione, de impendentis periculi grauitate incertus, nollet discedere, ut, monstrato hostibus a iuvene molitore, per Albim uado, horum uis celerrime, instar fluminis subito incrementis, in exercitum erumperet, ad dimicandum parum instructum, qui primo praelio acerrimos insistentium hostium imperus neque ferre, neque retardare potuit.

Factum est itaque ex causis, in medium prolatis, AVDI-

B 2

TO-

TORES, et ex occulto, quod ueneror, sapientissimi NVMI-
NIS consilio, ut unica hac strage SMALCALDICORVM SO-
CIORVM res plane conciderint, et tam nobiles uiri interfecti
sint, ut gladii ipsi et mucrones militum Caesaris contremuif-
se uideantur, quum in tam augustis corporibus defigerentur.
Adfuerunt enim bellicosissimi homines, et numerosa fortissi-
morum uirorum proles.

Et in hisrerum angustiis redintegrare pugnam, acies ite-
rum instruere, immo uictoriam deportare potuissent foedere
coniuncti, si omnes, quos secum habuit, tam fortiter, atque
ipse IOANNES FRIDERICVS, pro patria, pro libertate, pro
religione dimicassent, si irruentem postea hostium uim animo
forti sustinuissent. Conspicuus fuit inter omnes acerrimus
pugnator, et pro summi ducis dignitate strenuae et exquisitae
fortitudinis specimina edidit. Sed tandem inuictus, AVDI-
TORES, in hostium manus uenit. Non enim hostium uirtute,
sed horum partim multitudine, partim desertione sociorum,
partim suorum proditione oppressus, quum pro aris et focis,
pro lege, et grege, sanguinem profudisset, honestissimo in facie
accepto uulnere, captus est. Inuictus dicendus est, quum contra
pietatem, magnanimitatem, et constantiam nostri HEROIS
potissimum pugnatum sit. Inuiolatae autem et inconcussae
steterunt IOANNIS FRIDERICI uirtutes. Amissa enim opu-
lentiae splendorisque augusti specie, infelicissimis consiliorum
euentibus non cessit pietas, non succubuit calamitati magnus
animus, non impar fuit aduersae fortunae constantia. Tri-
umphauit in captiuitate de irritis hostium in defensionem fortiter
et confessam religionem conatibus. In illa enim de Christiani or-
bis libertate cogitans, Ienae bonarum artium, et uirtutis officii-
nam fundandam esse, statuit, ut. Vitteberga expugnata, in here-
dum regionibus locus esset, in quo emendata religio, et DEI
gloria amplificarentur.

Respondit etiam piis integerrimi IOANNIS FRIDERI-
CI uotis rei effectus. Vidissimus enim, AVDITORES, si aetas
nostra in hoc tempus incidisset, ciuibus mixtos externos festi-
nare ad implendos oculos, animosque rerum exoptatissima-
rum spectaculo satiandos, quum noua sedes, pulsa ignoran-
tiae

tie barbarie, profligata superstitionis nebula, pietati et artibus hic IENAE consecraretur. Miramini inusitata conditae nostrae Academiae initia. Confitemini mecum, summum DEI NVMEN praesidiis fortissimis hoc Musarum domicilium munuisse, ut nulla temporum vicissitudine, nulla gentium invidia destrui possit.


Loquitur de ueritate ipsa experientia. Etenim si ad florentissimam huius bonarum artium domicilii rationem adtendimus, facile experimur, augusta posse augeri et summa adtolli in maius. Quo ACADEMIAE IENENSIS incremento omnes exsultant gaudio, quibus scientiae et uirtutes curae cordique sunt, et ii prae ceteris, quos haec beneficiis obstrictos habet.

Quid mirum igitur, societatem Latinam inter innumeros illius aestimatores exsurgere, ut intimos animi adfectus solemnique quodam sermone publice commonstret? Subit illam laeta uotorum recordatio, quae, praeterito anno in caelum missa, hodierno die ingenti laetitia rata esse uidet. Quam ob rem aeternas diuino NVMINI persoluit gratias: hoc ipso autem, quo nunc sumus, temporis momento, noua felicitatis ACADEMIAE sibi fingit initia, ardentissimis uotis consecrata, ut futuri anni dies, iam iam a nobis pie celebratus, magnificam gaudii causam nobis impertiat. Si autem omnium rerum agendarum primordia a precationibus capienda sunt, AVDI-TORES: si nihil rite, nihilque prouidenter homines sine DEI immortalis ope, consilio, honore auspiciantur: si sub his demum piis auspiciis omnia ad uoluntatem fluunt: quid uel religiosius, uel officio nostro ad commodatius excogitari, aut fieri potest, quam si in extrema oratione integerrima uota pronouis redintegratae felicitatis initiis hoc ACADEMIAE die natali submissis ad DEVM deferamus precibus?


TV igitur DEVS T. O. M. qui e caelis omnium rerum euentus in his terris dispensas, recipe ACADEMIAM hanc nostram in sinum tuum! Tuere SERENISSIMOS huius Prytanei CONSERVATORES, ut in augustis horum humeris illius salus secure requiescat! Custodi PRAESTANTISSIMOS PRVDENTISSIMOSQUE reipublicae nostrae litterariae PATRES, ut horum meritis illius splendor in terras remotissimas

diffundatur. Conferua numerosam magnorum, doctorum,
et honestorum parentum PROLEM, futurum familiarum DE-
CVS, exoptatam patriae SPEM, certum posteritatis SOLA-
TIVM, et adaugendae TVAE gloriae uerum INSTRUMEN-
TVM!

Ite iam AVDITORES, et ita excipite ostensa faustiffi-
morum temporum auspicia, ut BENE EVENIRE precemini
PRINCIPIBVS, ACADEMIAE, VOBIS!







Vc. 2751. 8

ULB Halle 3
002 691 590



SH


vd 18

Reber ✓

M.T.







26

ORATIO SOLEMNIS
DE
CLADIS
PROPTER MVHLBERGAM
CAVSSIS
SACRO ANNIVERSARIO
DIEI NATALIS
ACADEMIAE APVD IENENSES FLORENTISSIMAE
ET
AVGVSTI EIVSDEM STATORIS
IOANNIS FRIDERICI
SEMPITERNAE MEMORIAE
CONSECRATA
PRO CONCIONE ILLVSTRI
DIE FEBRVAR.
ANN. A SOT. NAT. MDCCCXXXVI.
SOCIETATIS LATINAE NOMINE
RECITATA
A
GEORGIO LVDOVICO HERTZOGIO
PHIL. ET IVR. DOCT. AMPL. PHIL. ORD. ADSC.
SOCIETATIS LATINAE
EPHORO.

I E N A E,
LITTERIS MARGGRAVIANIS.